

rò pessimè in Eleutherio Quolitianos appellat. Quod etiam est ex hoc loco castigandum. Coluthiani verò cur dicti sint, ambigitur. Quidam enim à Coluthione nominatos putant. Est autem Coluthion, sicut & Cephron, oppidulum squallidæ & internæ Lybiæ, quæ à Plinio libro 5. capite 6. dicitur Mareotis, éstque contermina Ægypto, à qua etiã Mareotis lacus apud Vibiũ Sequestrũ D. Simleri nominatus est, in quæ deserta loca plures Christiani persecutionũ tempore à præfectis Ægypti relegati scribuntur ab Eusebio libro 7. cap. II. Augustinus autem ex Epiphano, vt opinor, à Colutho mauult dictos, qui fuit huius erroris princeps & author. Fuit autem Coluthus iste Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Ario coæuus, quem etiam quanquam maleuolo quidem animo, detexit, & est persecutus. De quo & Theodoretus libro 1. historiæ, capite 4. & Nicephorus libro 8. capite 7. meminit, sed maximè Epiphanius hæresi 69. Ariomanitæ, his verbis, *Και οἱ μὴ προσεκλίθησαν Ἀρείῳ, ἕτεροι δὲ Κολλούθῳ, ἄλλοι δὲ Καρπώνῃ ἕτεροι δὲ Σαρματᾶ. ὡς οὖν ἐξηγείτο ἕκαστος ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ ἄλλος ἄλλότι, ἢ ἄλλος ἄλλο ἐκ τῆς ᾤδακνήσεως ἢ ἐπαίγου τῆ παρ' αὐτῶν, οἱ μὴ Κολλουθιανούς ἐαυτοὺς ὠνόμασαν ἄλλοι δ' Ἀρειανούς. ἢ γὰρ ὁ Κόλλουθος τινὰ ᾤδα τετραμύλια ἐδίδαξεν, ἀλλ' οὐκ ἐνέμεινεν ἢ τούτῃ αἵρεσις, ἀλλ' εὐθὺς διεσκορπήθη.* Non commemorat igitur Epiphanius quid Coluthus senserit: sed ex hoc Augustini scripto intelligimus. Fuit autem alius Coluthus, de quo Suidas, Lycopolites & ἐποποιὸς sub Anastasio imperatore, qui ad hunc locũ non pertinet. Cœpit igitur hæc hæresis sub Constantino Magno, quo tempore Arianus